



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio II. Vtrum si ens præscindatur simpliciter à suis inferioribus sit
analogum vel univocum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

est, & qui erat & qui venturus est; quasi illa tria tempora expresse dicat in nomine divino contineri; quo aperte demonstratur tali nomine existentiam divinam adumbrari, esseque illimitatum, ac infinitum divinitatis clarissime describi, quod manifeste docuit Nazianzenus *orat. 36. quæ est 4. de Theolog.* his verbis: Hæbræorum doctissimi, & antiquissimi, quique proprijs notis summum illud nomen honorandum duxerunt, quo esse Dei representatur, ac ne ijs quidem literis aliud quidam eorum, quæ post Deum sunt, scribi substituerunt. Et paulo post subiungit; tam sacro-sancto igitur nomine *leoba* sacrosanctum, & infinitam Dei esse, omnisque essentia interminum pelagus summo mysterio depingitur, cui consonat Eusebius *de præparatione evangelica. lib. 8. cap. 4. & lib. 11. c. 8.* & Fillo ludæus *lib. de vita Moysi.*

4 Lamina aurea, inquit Hieronimus, quæ Pontificis caput coronabat, nomine *leoba*, decorabatur esse Dei existentis, significante quod solis ijs, qui aures, & linguam sapientia purgatas, & puritate imbutas habent fas est audire nominareque. Itaque esse, seu ens, existens significantur supradicto nomine hæbræo, & ideo comprehendit tria illa tempora, qui est, qui erat, & qui venturus est; nam licet prædicatum existentiale non connotet in Dei tempus; nihilominus tamen quia divina ad similitudinem creaturarum rerum concipimus, in quibus existentia tempore mensuratur, ideo existentiam Dei tribus illis temporibus significamus, ad quod facit quod refert Plutarchus *lib. de Iside, & Osiri*, in quo asserit in Ægypto, Deum supremum hæc inscriptione depingi; Ego sum vniuersum, quod fuit, quod futurum est, quod est. Itaque ens quatenus significat existentiam omnino necessariam à se est proprium Dei, ratione cuius Deus loquens Moysi ait: *Ego sum, qui sum*; ratione cuius solet dici, creaturas nihil esse comparatione Dei, attamen si ens sumatur pro existere ut sic, convenit etiam propriissime creaturis, & sic adæquatam significatum eius erit quod est, unde apud Aristotelem *lib. 1. phys. tex. 17.* & *sepe alibi* loco entis ponitur, id quod est, id est quod habet actum essendi, seu existendi; & secundum hanc significationem verificatur illud Aristotelis *8. met. lib. 16.* ubi ait: ens non poni in definitionibus rerum, in quibus non ponitur existentia; & illud D. Thomæ *1. p. vbi ait, ens, primum essentialiter dici de Deo*; quia de solo Deo existere à se enunciat quidditative; quod etiam voluit dicere Avicenna, quem referunt Commentator, & D. Thomas *4. met. com. 30.* cum dixit, ens significare accidens, ipsum nimirum esse actuale, quod rebus accidere dixit cum eis possit auferri, & conferri; ideoque concipitur existentia quasi accidens, quod potest abesse, & adesse essentia non actuali sed possibili.

5 Tertiò, significat, ut ait Caietanus *lib. de ente, & essent.* omne id, quod potest esse subiectum propositionis affirmativæ, sive sit negatio, sive privatio, sive entitas positiva, & ideo solet dici, ens negativum, & ens positivum, ratione cuius formantur hæc propositiones, Petrus est cæcus, tenebræ sunt in aere.

6 Quarto significat ens substantiam, & ideo solet dici, accidens non esse ens, sed entis ens; id est aliquid præcipui entis, quod est substantia; ut patet ex Aristotele *7. lib. met. cap. 1. ibi*; patet

igitur, quod propter hanc substantiam nimirum, illorum quoque singula sunt, quare quod primo est ens, & non aliquid ens sed simpliciter ens substantia.

Ultimo significat omne quod habet esse, propterea abstrahit ab accidentali, & substantiali à modis, & à rebus, & quatenus potest convenire enti potentiali & actuali, & hoc modo sumitur nominaliter, & solet sic definiri, ens est quod non repugnat existere, vel quod potest existere realiter, illud potest sumitur non pro potentia physica, sed pro potentia logica, unde hoc modo prædicatur essentialiter de ente in actu, seu existentia, & de ente in potentia, vel in statu possibilitatis, quia utrique convenit non repugnantia ad existendum realiter, nam quod existit, non repugnat existere; quia ab actu ad potentiam bona est consequentia affirmativa, ut v.g. existit ergo potest existere, hoc est non repugnat existere; quia impossibile est, quod repugnet illud quod actu convenit; sed non repugnantia est potentia logica; ergo potest existere id, quod actu existit.

Item de ente in potentia, seu in statu possibilitatis est verum dicere, non repugnat existere; quia quod est possibile, distinguitur ab impossibili & à chimæra; quia possibile habet potentiam ad existendum, ac proinde habet non repugnantiam; è contra vero chimæra habet repugnantiam ad existendum, & sic nullo modo est ens potentiale seu in potentia, eo modo, quo possibile, sed ut notat P. Suarez ens potentiale non debet ita sumi, ut illud in potentia, seu potentiale sumatur privative, vel negative, quatenus opponitur enti in actu, sed significat solum ens, ut præcise dicit essentiam realem, quod valde diversum est; sicut enim abstractio præcise diversa est à negativa; ita ens nominaliter præcise sumptum, licet dicat essentiam, vel non repugnantiam ad existendum, non vero addit negationem, seu carentiam existentia, quatenus negationem, seu privationem addit ens, quando dicitur proprie, & toto rigore in potentia, & ideo ens nominaliter potest affirmari de Deo, & de creaturis existentibus vere, & propriè; ens autem in potentia minime.

QVÆSTIO II.

Verum si ens præscindatur simpliciter à suis inferioribus sit analogum, vel univocum?

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia asserit ens esse analogum simpliciter, etiam si ab inferioribus præscindatur absolute, ita P. Suar. *in met. disp. 32. sect. 2. & disp. 28. sect. 1.* Capreol. *in 1. P. Rubius, & alij.*

Probatur primo authoritate Aristotelis *lib. 5. 1 metaph. cap. 6.* ubi ait; illa esse vnum secundum analogiam quæcunque se habent, ut aliud ad aliud; sed

sed licet ens præscindatur à suis inferioribus, nihilominus est aliud ad aliud, quia in creaturis est ad Deum, & ens in accidenti est ad substantiam.

2 Secundo, quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen utriusque commune non dicitur univocum, sed analogum; atqui quomodocunque præscindatur ens à Deo, & à creaturis ratio entis, quæ participatur à creatura est effectus, & non adæquat virtutem Dei, quæ est causa: ergo ratio entis est analogæ.

3 Tercio, quia etiam licet præscindatur ratio entis à Deo, & à creaturis, illa ratio in Deo essentialiter includit omnem perfectionem entis, in creatura vero non includit, sed potius est finita, & limitata ad aliquod genus perfectionis: ergo ratio entis quomodocunque præscindatur, dicitur inæqualitatem in se ergo dicit analogiam.

4 Quarto, quia creatura essentialiter est ens per participationem eius esse, quod in Deo est per essentiam; unde omnis creatura est ens per habitudinem ad Deum, quatenus habet dependentiam essentialem ab illo: ergo de essentia entis creati est illa dependentia; ergo etiam si præscindatur, præscinditur cum illa, quia res non potest præscindi ab illo, quod est illi essentialiter; unde præscisio non potest tollere inæqualitatem in ente, respectu Dei; & creaturæ: ergo non potest tollere analogiam.

5 Quinto si ens ut præcisum simpliciter à substantia & accidenti, esset univocum ad illa, posset in eorum definitionibus poni, quia conceptus univocus essentialis ponitur in definitione rei: sed Aristoteles asserit, ens non poni in definitionibus: ergo ens non est univocum, etiam si sit præcisum.

6 Ultimo; quia si ex eo quod ens esset præcisum esset univocum, esset genus ad Deum, & ad creaturas; sed hoc est falsum, quia Deus non est sub genere, ut omnes Patres & Theologi asserunt: ergo ens præcisum non est univocum. Maior sic probatur; quia genus est illud, quod est unum univocum in multis specie distinctis; sed ens ut sic præcisum esset unum univocum in Deo & creaturis, quæ plusquam specie differunt: ergo esset genus respectu illorum.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

7 **V**nvoca, quæ græcè synonyma dicuntur (nam quæ nunc apud grammaticos synonyma appellantur proprie polyonyma vocari debent) sic definit Aristoteles, cap. 1. *Categoriarum*, univoca ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem est, ut animal dicitur, & ipse homo & equus, nomine namque communi, & homo, & equus animalia nuncupantur, & ratio quoque substantiæ utriusque eadem est; sic Aristoteles.

8 Explicatur hæc definitio, univoca sunt quæ conveniunt in una ratione communi significata per unum nomen, quæ ratio eadem est illis sine aliqua inæqualitate; ex parte ipsius rationis communis, v.g. homo, & equus sunt univoca in animali, quia per illud univocum nomen animal significatur ratio naturæ viventis sensibilis equaliter

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

participabilis ab illis, ita ut in illa ratione superiori quæ convenit illis, detur omnino æqualitas, & eadem ratio perfectionis sine ulla inæqualitate ex parte sua.

Prima particula definitionis Aristotelis (univoca videlicet) denotat, ut asserunt D. Thomas, Scotus, & alij res in se non esse univocas, nisi quatenus eodem nomine, & conceptu significantur; illa particula, quorum nomen est commune, ponitur, quia per illam non significantur immediate univocata, in quo ab æquivocis distinguuntur univoca; illa particula, ratio substantiæ, apud aliquos Doctores, v.g. apud Labellum, Hurtado, & alios significat conceptum obiectivum, ut album respectu hominis, & parietis; Scotus autem, & Scotica schola asserunt, significare definitionem essentialem aut proprie sumptam, qualis est rerum genere, & differentia constantium, aut large, ut comprehendit quancunque rerum simplicium essentialem explicationem, ut generum Supremo-rum, & hoc magis videtur accedere ad mentem Aristotelis in hoc capite, qui explicans definitionem à se positam exemplis equi, & hominis convenientium in ratione animalis essentiali utriusque, denotat clarissime se loquutum fuisse de essentiali ratione univocorum, non de accidentali.

Illam particula, substantia, non ponitur pro ea, quæ ab accidentibus distinguitur, propriumque prædicamentum constituit, sed pro quovis prædicato obiectivo, quod æqualiter prædicatur de rebus, quatenus distinguitur ab ipso nomine, in quo conveniunt univocata, ratione cuius distinguuntur univoca ab æquivocis, quia tum æquivoca, quam univoca conveniunt in uno nomine, ut v.g. lytus, piscis, & animal latrabile conveniunt in uno nomine canis, sicut homo, & leo in uno nomine animalis, cum hoc tamen discrimine, quod homo, & leo non solum conveniunt in nomine uno, sed etiam in una ratione obiectiva, quæ ab illis præscinditur, & de illis prædicatur æqualiter; v.g. in natura viventis sensibilis ut sic: Illa autem tria, quæ nomine canis significantur, præter nomen, in nulla ratione obiectiva omnino eadem æqualiter prædicabili de illis significata per illud nomen conveniunt; nam illud nomen primo impositum est illis omnibus, potius ad significanda ea, quæ inter se maxime differunt secundum proprias differentias, per quas inter se diversificantur, quam secundum aliquam rationem obiectivam, in qua uniantur, & quæ ipsis sine ulla inæqualitate, & diversitate; & hæc est propria differentia, quæ versatur inter univoca, & æquivoca.

Item illa particula omnino eadem; denotat rationem communem significatam per nomen univocum esse omnino unam sine ulla diversitate, & differentia reperta in ipsa ratione, quæ æqualiter, & æque perfecte reperitur in univocatis, & prædicatur de ipsis, quod adeo proprium est illis ut in eo præcipue univoca ab analogis differant, quia univocis communis est una vox, unus conceptus formalis, & unum obiectum sine ulla differentia, inæqualitate, & diversitate ex parte ipsius convenit ipsis, v.g. vivens, quod est nomen univocum respectu hominis, leonis &c. est unum in ratione vocis, & significat idem obiectum eandem scilicet naturam viventis sensibilis eodem conceptu apprehensam; tale enim obiectum est idem identitate præcisiva fundata in similitudi-

M z ne;

ne, & convenientia univocatorum; analogum autem nomen, licet sit unum, nihilominus non significat unum obiectum equaliter participatum ab illis, sed potius significat duas res, in quibus ratio significata in uno est intrinsece in alio extrinsece, in uno proprie in alio per metaphoram; de quo postea latius; æquivoca vero significata, ita sunt omnino dissimilia, quatenus per nomen æquivocum representantur, ut nullam habeant intrinsecam convenientiam; v.g. populus, & significat congregationem hominum, & arborem; ubi patet manifeste in rebus significatis formaliter per nomen, nullam in esse similitudinem, licet significata materialia alias similia sint in aliqua ratione, sed illa ratio, in qua conveniunt non significatur per nomen, populus.

¹² Econtravero evenit in univocis, quæ non solum significantur quomodocunque, sed potius sub una ratione convenientiæ, quatenus sub illa ratione proprie assimilantur, adunantur, & identificantur, in qua quatenus per illud nomen significantur, nullam habent inæqualitatem, diversitatem & differentiam, seu dissimilitudinem, sed potius maximam unitatem, quæ unitas, æqualitas, & identitas in illa ratione communi respectu univocatorum est ratio propriissime constituens univoca, in quantum talia; unde statim ac significatur per aliquod nomen inæqualitas in participando illam rationem superiorem, ex parte sui non datur univocatio.

¹³ Multiplex esse potest inæqualis participatio, sed non qualibet satis est ad tollendam univocationem; primo enim potest esse inæqualis participatio secundum esse, quia scilicet communis ratio perfectior est in uno membro dividente, quam in alio, ratione adiunctæ differentie perfectioris, verum hæc participationis inæqualitas non tollit univocationem, alias animal non esset univocum ad hominem & ad leonem, cum perfectius sit ex vi rationalitatis in homine, quam in leone; secundo alia inæqualis participatio est secundum plures, & pauciores gradus formæ eiusdem speciei completæ, quo pacto album participatur a magis albo, & minus albo; hæc similiter non destruit univocationem; album enim ut sic non est analogum, sed univocum comparatione albi ut quatuor, & ut quinque.

¹⁴ Tertio modo aliqua inter se comparata possunt habere inæqualitatem per ordinem prioris, & posterioris, quando scilicet unum est prius natura quam aliud; cæterum propter significantur communi nomine, unum non dicit ordinem ad aliud; sed ratio per nomen significata, cuique eorum absolute convenit sine ulla prioritate, aut posterioritate representata per ipsum; habitus enim, & potentie vitales habent univocationem, in qualitate ut sic; quia qualitas ut sic respectu illorum est genus, & nihilominus potentia est prior natura habitu, quia habitus dependet intrinsece à potentia vitali; attamen, quia comparata ad rationem communem illa duo nullum habent ordinem, dependentiam aut inæqualitatem in illa ratione superiori, sed ex æquo se habent ad illam, quia habitus non dicitur qualitas propter potentiam, ideo dicuntur univocata in ratione qualitatis, & qualitas ut sic est univoca ratio respectu illarum. Item binarius, & ternarius univoci sunt in ratione numeri, licet habeant ordinem prioris, & posterioris, quia binarius supponitur ad ternarium, & idem est de triangulo, & quadrangulo respectu

figuræ ut sic. Tandem affirmatio est prior negatione secundum propriam rationem; & nihilominus enuntiatio est genus ad illas, quia æque conveniunt in ratione communi enunciationis; ita D. Thomas 1. part. Amonius, Boetius, & alij.

Denique alia est inæqualis participatio, quæ univocationem tollit, quando scilicet ratio significata per nomen ex parte sui, quatenus distinguitur à differentiis, perfectior est in uno inferiori, quam in alio, ratione cuius nomen commune principaliter dicitur de uno membro, de alijs vero minus principaliter; quia illud simpliciter, & per se stat, reliqua vero tali nomine appellantur non per se, & simpliciter, sed per attributionem ad primum, vel secundum quid, & per accedens, vel secundum extrinsecam denominationem; v. g. vox homo dicitur inæqualiter de homine vero, & picto, & sanum de animali, & de medicamento aut cibo, quia ratio hominis significata per nomen ex parte sua non est æqualis, sed potius inæqualis imaginis, & Petro vivo; perfectiori enim modo est natura, & substantia hominis in Petro, quam in imagine, imo in imagine non est natura hominis, sed solum similitudo extrinseca illius.

Univocatio ut sic dividitur, ut annotat Scotus ¹⁶ in primo dist. 3. q. 1. & 3. in *Physicam*, *Logicam*, & *Metaphysicam*. Physica est, quæ sub eodem nomine unam importat naturam formaliter proflus indivisibilem, in plura specie distincta, sed solo numero, & materialiter, ut est hæc aqua, quæ quia à parte rei individua est, non est divisibilis in plures species, est tamen divisibilis in plures aquas realiter distinctas eiusdem nominis, & rationis cum ipsa, ex eo quod tota aqua homogenea sit. Metaphysica est, quæ importat unam, & eandem rationem sub uno nomine significatam à multis præcisam, æqualiter participabilem ab ipsis: Logica autem est una ratio communis prædicabilis de multis æqualiter; Logicus enim ex proprio munere, & officio agit de rebus sub ratione prædicabilium.

Alio modo univocatio physica solet dici, quæ ¹⁷ nihil aliud est quam convenientia & similitudo perfecta, quæ datur à parte rei inter plura, ratione cuius potest abstrahi metaphysice una ratio æqualiter participabilis illis; physica vocatur hæc, quia datur à parte rei sine opere intellectus in subiectis mutationibus physicis obnoxij, & quia hæc est fundamentum univocationis metaphysicæ, quia genus metaphysicum in physico fundatur, ideo physica dicitur.

In univoco dantur tria, ipsæ res videlicet, quæ ¹⁸ conveniunt univocæ in ratione communi, ut equus, & homo respectu animalis & hæc vocantur univoca univocata, & sunt quæ definitur Aristoteles *ubi supra*, & datur etiam illa ratio, in qua conveniunt æqualiter, & hæc vocatur univocum univocabile. Tandem datur ipsum nomen, & conceptus formalis immediate significans rationem illam univocatis communem, & hoc nomen vocatur univocum univocans.

SECTIO III.

Nostra sententia proponitur.

Conclusio: si ratio entis simpliciter præcindatur ab inferioribus, ita ut unus simpliciter conceptus obiectivus correspondeat univo conceptui formali entis, est univoca.

Hæc

19 Hæc sententia insinuat sub hac conditione à D. Thoma multis in locis, præcipue *tract. de potent. q. 7. art. 1. & de verit. q. 4. 2. contra Gen. c. 3. 1. p. &c.* eandem tenent quamplures nostræ Societatis Doctores, sub illa conditione præcisio- nis, P. Valquez 1. p. *disp. 114. cap. 2. P. Fonseca. 4. met. ad caput. 2. q. 2. sect. 8.* hæc verba proferens; Qui admittunt abstrahibilem esse simpliciter rationem entis, & ex alia parte illam non esse vni- vocam defendunt, certe sibi repugnant; P. Pereira, 2. *phys. cap. 2. ad finem, in solutione argumentorum quartæ sententiæ*, P. Smigleus in *Log. to. 1. tract. de analogia entis*, P. Hetize 1. *part. P. Moli. ibid.* Scotus, & Scotistæ sine vlla conditione asserunt rationem entis esse vni vocam Deo, & creaturis.

20 Probatur sic primo, quia illa est ratio commu- nis vni voca quæ est vna simpliciter, & sine diver- sitate, & inæqualitate ex parte sui eadem indivi- sibiliter tota participatur à suis inferioribus; sed si ratio entis simpliciter præscindatur ab inferio- ribus, est vna simpliciter, &c. ergo est vni voca.

21 Maior est ipsa definitio vni vocorum, ut patet ex notabili; nam ideo, v.g. substantia completa ut sic, quæ est caput prædicamenti substantiæ, est vni voca ad hominem, & ad Angelum, quia ex parte sua est vna simpliciter, & tota sine inæqua- litate, & diversitate participatur ab homine, & ab Angelo, & idem est de ratione animalis respectu equi, & leonis: ergo.

22 Minor præcipua sic probatur quoad primam partem; quia ubi nulla est ratio diversificans, nul- la datur diversitas; & inæqualitas, & ubi nulla datur diversitas, & inæqualitas, datur omnimoda vnitas, & æqualitas; sed in illa ratione superio- ri entis ut sic provt simpliciter præcisa ab omni- bus inferioribus, & differentijs eorū nulla est ra- tio diversificans, dividens, & inæqualitatem cau- sans; ergo in illa provt sic præcisa nulla datur diversitas, nulla divisio, nulla inæqualitas, nulla differentia, sed potius omnimoda indivisio, & vnitas simpliciter. Maior est evidens ex ipsis ter- minis, minor sic demonstratur, quia tota, & adæ- quata ratio diversificandi, dividendi, & causandi inæqualitatem in aliquo obiecto, est differentia reperi in ipso; sed in illa ratione superiori entis nulla datur differentia, supposito quod præscin- datur simpliciter ab omni differentia; ergo in illa ratione superiori sic præcisa nulla datur ratio formalis dividendi ipsam, causandi differentiam & inæqualitatem in ipsa, ac per consequens illa erit simpliciter vna sine aliqua diversitate, & inæqualitate in seipsa & in suo esse, quatenus dis- tinguitur expresse & quoad explicatum ab ipsis differentijs.

23 Confirmatur; ubi non est causa formalis, non potest dari effectus primarius formalis talis cau- sæ, quia effectus formalis essentialiter constitui- tur à forma, ratione cuius neque esse, nec intel- ligi potest sine illa; sed in ratione entis simplici- ter præcisa à differentijs nulla datur causa for- malis dividendi, differendi, & diversificandi, aut inæqualitatem causandi: ergo in ratione entis simpliciter præcisa nulla datur divisio; ergo datur omnimoda indivisio, ac proinde vnitas simpli- citer, quia indivisio simpliciter in ente est vni- tas, ut patet ex dictis latè *tractatu de vnitate*; Item nulla dabitur inæqualitas, sed omnino æqualitas, nulla diversitas sed omnimoda identitas, & vni- formitas. Exemplo manifesto hoc declaratur; ideo in divinitate à parte rei datur simpliciter

vnitas, quia datur simpliciter indivisio, & ideo datur simpliciter indivisio, quia in divinitate nulla est ratio dividendi aut distinguendi; Item ideo animal ut sic præcisa à differentijs est om- nino, ac simpliciter vnum, quia nihil est in ipso, quod causet divisionem, diversitatem, & inæqua- litatem ex eo quod simpliciter est præcisa per intellectum ab omni differentia, quæ sola potest causare in animali divisionem oppositam vnitati inæqualitatem, & diversitatem oppositam vnifor- mitati, & æqualitati, quod manifeste patet, siqui- dem ex eo quod præcise contrahatur per ratio- nale, & irrationale dividitur, & inæquale fit, & differens: ergo ex eo præcise quod separatum, & abstractum est à differentijs, habet vnitatem sim- pliciter, & caret inæqualitate, nullamque habet divisionem in suo esse; sed ratio entis est simpli- citer præcisa per vos ab omni differentia contra- hente ipsam: ergo talis ratio nullam habet di- visionem, sed potius indivisionem simpliciter, nullam inæqualitatem, nullam diversitatem, ac proinde summam vnitatem & identitatem: ergo ratio entis simpliciter præcisa est simpliciter vna.

24 Quod autem tota ratio diversificandi, dividen- di, & distinguendi sit differentia, patet; quia eo modo est effectus formalis, quo est forma, sed differentia est forma differendi, & forma dis- ferendi est forma distinguendi, at dividendi: ergo tota ratio distinguendi & dividendi est differen- tia, quod sic amplius patet; quia in rebus non datur, nisi ratio conveniendi, & differendi, quæ est differentia; sed ratio conveniendi formaliter, ut est ratio conveniendi non potest esse ratio di- versificandi, & differendi, quia ratio diversifican- di, & differendi dicunt negationem convenientiæ, quia convenientia est adunatio, & differentia est separatio: ergo ratio convenientiæ non potest esse ratio diversificandi. Exemplo demonstratur, in homine datur animal, & rationale, in quo animal non est ratio differendi ab equo, quia est ratio conveniendi, ratio enim differendi est rationale, quod explicite sumptum est ratio non conve- niendi, differre enim negat convenientiam; sicut convenientia formalissime negat differentiam: era- go si per animal convenit homo cum leone, & equus cum homine, per ipsum animal non pos- sunt diversificari, dividi, & distingui, quia diver- sificari dicit non convenire, atqui per eandem ra- tionem formalem non potest aliquid convenire cum aliquo, & simul non convenire cum illo: ergo per animal, per quod formalissime conve- nit cum leone, non potest formalissime differre ab ipso, diversificari, dividi, & distingui ab eo- dem: ergo solum restat, ut per rationale diver- sificetur, dividatur, & distinguatur homo ab equo; unde solum restat, ut ratio diversificandi adæquate, dividendi, & distinguendi sit diffe- rentia: igitur ubi nulla est differentia, nulla est diversitas, divisio, inæqualitas, & distinctio; sed in illa ratione entis simpliciter præcisa, di- visa, & separata à differentijs nulla datur dif- ferentia, alias esset divisa, & non divisa præ- cisa, & non præcisa ab omni differentia: ergo in illa ratione nulla datur divisio, inæqualitas, & diversitas, ac proinde dabitur simpliciter vnitas, æqualitas, & omnimoda vniformitas.

Secunda pars minoris præcipua sic patet; quia ratio superior contrahibilis contrahitur, & par- ticipatur à suis inferioribus non aliter, ac est in

se, sed eo modo, quo in se ipsa est, quia participatur secundum illud ipsum esse, quod in se habet; sed illa ratio entis ut præcisa simpliciter ab omni differentia est una simpliciter eadem indivisibilis sine aliqua diversitate, & inæqualitate in suo esse formali; & ex parte sui, quatenus distinguitur virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum à differentijs: ergo participatur ut una & eadem simpliciter sine vlla inæqualitate, & diversitate ex parte sui à suis inferioribus tota, & indivisibiliter à quocunque illorum.

26 Vegetur, & confirmatur, quia nihil aliud est participari aliquam rationem communem ab inferioribus, nisi quod illa ratio superior se ipsam tribuat secundum suum esse per modum formæ, & in genere causæ formalis; prædicata enim superiora vocavit Aristoteles formas inferiorum, quia per modum formæ constituent illa, exhibendo ipsis proprium esse formale, quod habent, & ideo prædicantur de inferioribus tanquam de subiectis; sed forma, quæ dat se in genere causæ formalis dat illud ipsum esse formale, quod in se habet, & non aliud esse quod in se non habet, neque alio modo ac habet in se, sed potius eodem ipsissimo modo quo in se habet esse; homo enim ut sic; quando participatur à Paulo, & à Petro non dat illis esse lapidis, aut esse arboris, quia homo in se nec est arbor neque lapis, sed solum tribuit illis esse animalis rationalis, & ratio à priori est, quia nemo dat, quod non habet, sed potius id tribuit, quod continet: ergo si homo in se formalissime non continet, nisi animal rationale, non poterit tribuere in tali contractione per modum causæ formalis, nisi esse animalis rationalis.

27 Sed ens ut sic quatenus præcise ab omni differentia habet esse sine vlla inæqualitate ex parte sui, sine vlla maiori, & minori perfectione cum unitate simpliciter, & cum æqualitate summa, & ex alio capite in contractione ad inferiora, communicat ipsum suum esse, quasi in genere causæ formalis eo modo, quo in se habet & non alio modo: ergo non communicat esse inferioribus cum unitate simpliciter, sine aliqua inæqualitate maioris, & minoris perfectionis. Tunc sic, inferiora eo modo participant esse superioris, quo superior tribuit ipsum esse illis, quia nihil accipit, nisi quod ab alio sibi tribuitur; sed à superiori ratione entis in contractione communicatur esse simpliciter unum indivisibile, & omnino æquale: ergo in ipsa contractione participatur ab inferioribus unum esse simpliciter indivisibile sine vlla inæqualitate maioris, & minoris perfectionis, sed potius cum summa æqualitate, & uniformitate ex parte sua, præcipue quia id quod est indivisibile totum participatur à quocunque participante ipsum, quia indivisibile, aut totum tangitur, aut nihil; sed ratio entis simpliciter præcisa à differentijs dividendibus est una, & indivisibilis ratio: ergo tota ab unoquoque inferiori participatur; Minor illa est clara, quia unumquodque inferius participat esse simpliciter essentielle oppositum nihilo; sed hæc est tota, & adæquata ratio entis, quatenus ex parte sua distinguitur à differentijs: ergo tota, & adæquata ratio entis participatur ab unoquoque inferiori, ita ut ab uno non participetur magis ratio entis, quam ab alio, quia in ratione entis non datur magis, aut minus, & ideo unum non est magis ens, quam aliud, & ratio à priori est, quia ens ex vi

totius, & adæquate essentia propriæ opponitur nihilo immediate contradictorie, sed immediata oppositio contradictoria cum nihilo est indivisibilis, ita ut tota oppositio sit in tota ratione entis, & tota in qualibet ratione illius: ergo si unumquodque participat propriam, & immediatam oppositionem contradictoriam cum nihilo, participabit sine dubio totam indivisibilem rationem entis sine vlla inæqualitate, & diversitate, cum participet illam in genere causæ formalis, in quo genere ratio entis, quæ nullam habet inæqualitatem communicat suum ipsum esse inferioribus: ergo si illud esse est unum simpliciter indivisibile omnino æquale participabitur indivisibiliter sine vlla inæqualitate, sed potius cum summa æqualitate ex parte sui.

Exemplo manifesto declaratur hoc; v.g. quia anima rationalis in suo esse est omnino indivisibilis sine aliqua inæqualitate, & diversitate æque perfecte participatur ab omnibus partibus corporis quantum est ex parte ipsius substantiæ animæ, ita ut tam perfecta sit anima quoad propriam entitatem in brachio, & in pedibus, ac est in capite; & ratio est, quia illa anima existit in brachio, pedibus, & capite, & communicat se ipsis eo modo, quo est in se formaliter & non secundum aliud esse quod in se non habet; sed in se habet esse omnino idem, & unum simpliciter sine vlla inæqualitate maioris, aut minoris perfectionis ex parte sui: ergo existit in illis partibus, & communicatur ipsis omnino æqualiter sine vlla inæqualitate maioris, aut minoris perfectionis, & ideo dicitur tota esse in toto, & tota in qualibet parte; unde non plus aut magis animæ habet caput quam brachia, & pedes, quia esse animæ, tam intensive, quam extensive est omnino indivisibile.

Clarius exemplum: nullus Catholicus potest asserere ex parte divinæ essentia perfectioni modo esse, aut perfectius ex parte divinitatis Deum ut distinguitur ab effectu creato in Angelo, quam in homine; in homine, quam in formica, &c. & ratio est; quia divina natura ex parte sua quatenus per immensitatem est in omni creatura formalissime est una, & simplicissima entitas omnino indivisibilis sine vlla inæqualitate maioris, aut minoris perfectionis; unde totus Deus est in homine, & totus in Angelo, & similiter totus in formica; unde ex parte sua, æque perfecte est in illis omnibus; sicut & iam divina essentia æque perfecte est in tribus personis divinis, & communicatur ipsis cum summa æqualitate, quia est in illis secundum proprium, & formale esse divinæ essentia, in quo nulla est inæqualitas maioris, aut minoris perfectionis.

Sed ratio entis ut sic præcisa simpliciter ab omni differentia est una, & indivisibilis ratio essentialis sine vlla inæqualitate maioris aut minoris perfectionis: ergo tota, & æque perfecte sine vlla inæqualitate maioris, aut minoris perfectionis participatur ab inferioribus; ergo talis ratio sine dubio est univoca simpliciter.

Confirmatur: quia si perfectius participaretur à Deo ratio entis, quam à creaturis, vel *To perfectius*, se haberet ex parte ipsius entis, vel se haberet ex parte differentia Dei, per quam contrahit rationem entis; si ex parte differentia, non tollit univocationem, quia est physica inæqualitatis; ideo enim maior perfectio, quæ homo participat animal, non tollit univocationem animalis

Quæst. II. Vtrum si Præscindatur, &c. 95

malis respectu hominis, & equi, quia illa maior perfectio non se habet ex parte animalis participati, sed potius ex parte differentie hominis contrahentis animal: ergo si *ly perfectus* in participatione entis à Deo se habet non ex parte entis, sed potius ex parte differentie Dei contrahentis ens ad constitutionem ipsius Dei, non tollit univocationem in ente, nec causabit analogiam in ipso respectu Dei, & creaturarum: si autem ens participatur ex parte sua perfectius à Deo, & imperfectius à creatura: ergo in ipso ente datur illa maior, & minor perfectio quia si in ipso non daretur maior, & minor perfectio, non posset ex parte sua participari secundum maiorem, & minorem perfectionem, quia ratio superior in contractione metaphysica non participatur ab inferioribus, nisi secundum esse formalissimum, quod in se habet, sed maior, & minor perfectio sunt diversæ, distinctæ, & differentes perfectiones; sed non quomodocunque differentes, sed plusquam specie, & genere, quia quidquid ita est in Deo, ut proprium illius, & minime conveniat creaturis, & participatur ab illis est essentialiter, & quidditative distinctum, & infinite differens à quocunque prædicato proprio creaturæ, quod non participatur à Deo, & continetur in ipso formaliter; ideo enim Trinitas personarum in una essentia omnimoda independetia ipsius infinitudo, & reliqua propria Dei prædicata distinguuntur, & differunt quidditative, essentialiter, & infinite à quibuscunque prædicatis propriis creaturarum, quia sunt prædicata propria Dei quidditative, & infinite differentis à quacunque creaturæ; sed illa maior perfectio, seu illud perfectius participare rationem entis est proprium Dei; sicut illud imperfectius participare rationem entis, ita est proprium prædicatum creaturæ, ut nullo modo possit convenire Deo: ergo illud perfectius participare in Deo, & illud imperfectius participare in creatura differunt, & distinguuntur quidditative essentialiter infinite; atqui differentia prædicata, & distincta essentialiter per differentias essentialiter constituuntur in esse talium, effectus enim formalis primarius differentie est facere differre, vel constituere differens ab alio: sicut albedo constituit album, & rationalitas constituit rationale: ergo si in ente ex parte sua datur maior, & minor perfectio ac proinde differentes perfectiones, ita distinctæ, & separabiles inter se, ut quæ participatur à Deo, non participetur à creatura, & e contra, necessario, & evidenter sequitur in ente dari differentias maiorem, & minoris perfectionis distinctarum inter se quidditative, & essentialiter: ergo ratio entis, quæ participatur à Deo & à creaturis non est simpliciter præcisa ab omni differentia, quia si simpliciter esset præcisa, divisa, & separata ab illis, non includeret illas, ut ex vi illarum constitueretur in esse habentis maiorem, & minorem perfectionem, v.g. ideo animal non includit maiorem, & minorem perfectionem hominis & bruti, quia est simpliciter præcisa ab illis: ergo e contra si ratio entis includit differentias maiorem, & minoris perfectionis, non erit simpliciter præcisa ab illis: atqui in titulo quæstionis supponitur, rationem entis esse præcisam ab omni differentia: ergo nullam includit differentiam in se maiorem, vel minoris perfectionis, sed potius est una, & indivisibilis ratio: ergo ex parte sua non potest se communicare Deo, & creaturis

quasi in genere causæ formalis secundum maiorem, & minorem perfectionem, ac proinde sit inæqualitate ex parte suæ, licet cum inæqualitate ex parte differentiarum, per quas Deus, & creatura participant ipsum ens: ergo simpliciter est ratio univoca; si præscinditur simpliciter ab omni differentia.

Vnde præcluditur manifeste effugium aliquorum asserentium ideo ens ut sic esse analogum, & non univocum, quia dicit ordinem, & aptitudinem ut participetur cum inæqualitate perfectionis à suis inferioribus; nam si nunquam participatur cum tali inæqualitate, ut probatum manet: ergo à posteriori colligitur, non dari talem ordinem, & aptitudinem, quia frustra datur potentia, quæ non reducitur ad actum, præcipue adiunctis his, quæ supra demonstravimus; quia illud, quod in se nullam habet inæqualitatem & diversitatem ex parte sua, nullamque aptitudinem ad habendum talem inæqualitatem, & diversitatem in suo esse, quatenus distinguitur virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum à differentiis, non est capax talis ordinis, & aptitudinis inæqualis participationis, quia aptitudo, & ordo fundatur in ipsa substantia entis, cuius est ordo, & capacitas: sed in illa ratione entis simpliciter præcisa, & in illo esse quatenus expresse distinguuntur à differentiis contrahentibus ipsum nulla datur inæqualitas, neque capacitas ad illam, ex eo quod nullam rationem habeat in se diversificandi, & inæqualitatem constituendi in illo, quod est differentia, & ex alio capite non potest aliter participari, ac est in se, cum secundum illud ipsissimum esse proprium, quod habet, habeat participabilitatem: ergo sicut nunquam participatur inæqualiter, quia participatur secundum suum esse formalissimum, in quo nulla datur inæqualitas; ita etiam non potest nec habet aptitudinem participationis inæqualis, quia tota illa potentia participationis est secundum illud ipsum esse, in quo supposita simpliciter præcissione nulla datur inæqualitas.

Explicatur hoc exemplo: homo enim nec participatur, nec potest participari secundum gradum inhabilitatis quia in suo esse, quod debet participari, non datur talis gradus, v.g. substantia completa ut sic, aut Angelus, ut sic, neque participantur inæqualiter ab hac, vel illa substantia completa, aut à Michael, & Gabriele, nec habent aptitudinem ut participantur inæqualiter magis, & minus perfecte ab illis; quia in esse proprio formalissimo, quod habent, & quod se participabile ab inferioribus nullam habent inæqualitatem maiorem, & minoris perfectionis, & idem est in animali respectu hominis, & equi, quod neque participatur, nec potest participari ex parte sua propter rationem dictam, quod evidenter patet in exemplis supra positis de anima rationali & divinitate, quæ ex eo quod in seipsis formalissime non habent diversitatem, & inæqualitatem maiorem, & minoris perfectionis, neque illa communicatur, nec potest communicari inæqualiter partibus, neque hæc personis divinis ex parte propriarum entitatum, sed per vos ens ut sic ex parte sua nullam habet inæqualitatem differentium perfectionum maiorem, & minoris, quia hoc provenit à differentiis, à quibus est simpliciter præcisa, & separatum, & sic est una, & eadem indivisibilis ratio essendi: ergo nec participatur inæqualiter ex par-

te sui, nec habet aptitudinem ad talem participationem inaequalem, cum hæc tota participatio siue actualis, siue potentialis sit eo modo, quo est ipsum esse participabile entis in quo, ut iam diximus, nulla datur inaequalitas: ergo nihil aut actuale, aut potentiale reperitur in ente, quod possit tollere univocationem ab illo & causare analogiam in ipso.

SUBSECTIO I.

Secundum principale argumentum ponitur.

33 **O**Via illi rationi abstractæ ab inferioribus simpliciter non convenit definitio analogorum ab omnibus recepta: ergo ut sic non est analogia, sed univoca; antecedens probatur, analogum in ratione significata per terminum debet inaequales habitudines dicere per ordinem ad illum, sed ens ut sic abstractum secundum immediatum significatum termini huius, nullum dicit ordinem inaequalitatis: ergo ut sic nullam dicit analogiam; probo minorem, nam accidens, & creatura non minus opponuntur nihilo, quam Deus: ergo non minus sunt ens quam ipse, neque ideo sunt inferiora Deo, quia sunt entia ut sic, quod ita demonstratur. Nam ideo Deus est superior essentialiter creaturis, & substantia accidentibus, quia ille est primum & infinitum ens, & hæc est ens per se; sed Deus non est primum & infinitum ens, neque substantia est ens per se in ratione entis ut sic, & propter illam rationem entis præcisam, ut à nobis conceptam, neque creatura ordinatur ad Deum ex eo præcise quod sunt entia: ergo ex vi præcisæ rationis entis Deus non est superior creaturis, & substantia non est perfectior accidentibus; minor est certa, quia quando convenit alicui subiecto ratione alicuius formalitatis prædicatum aliquod, omnibus participantibus illam formalitatem, convenit tale prædicatum; sicut quia Angelo convenit esse ens per se, quia participat rationem substantiæ ut sic, similiter convenit esse ens per se arbori, homini, & lapidi; quia participant similiter rationem substantiæ; sed Deo convenit per vos esse infinitum, ac primum ens ratione entis ut sic, & quia participat esse ut sic oppositum nihilo: ergo creaturis etiam convenit ratio primi; & infiniti entis, quia participant rationem entis ut sic oppositam nihilo simpliciter; sed hoc est falsum: ergo falsum est dicere, quod Deo conveniat esse infinitum, & primum ens propter rationem entis ut sic præcise sumptam, aut propter rationem essendi duntaxat communem Deo, & creaturis, sed in Deo non est alia ratio, nisi differentialis & propria ipsius: ergo Deo convenit esse infinitum, & primum ens, ac proinde esse superiorem creaturis ratione differentiarum; unde totam inaequalitatem habet Deus respectu illarum propter differentias quas habet: ergo illa ratio entis præcisa secundum immediatum significatum termini huius, ens, nullum dicit ordinem inaequalitatis: ergo illa ratio est univoca simpliciter.

34 Inquiunt Adversarij conceptum præscindentem rationem entis à suis differentiis, & inferioribus inaequaliter participantibus talem communem rationem eo ipso, quod præscindat ab illis illam, dare necessario ipsi in genere causæ

formalis respectum inaequalem, & ordinem diversum ad sua inferiora.

Sed hæc solutio mera verba, & nugæ continet, & iam satis oppugnata manet rationibus superioribus, quia quando fundamentum est incapax alicuius relationis, nulla causa extrinseca formalis potest illi tribuere huiusmodi relationem; v. g. quia Deus incapax est relationis, quæ sit verum accidens, nulla causa extrinseca formalis potest tribuere illi relationem realem accidentalem & quia ipse Deus est omnino incapax relationis universalitatis respectu trium relationum divinarum, nullo modo potest conceptus formalis præscindens divinitatem ab illis in genere causæ formalis tribuere divinitati relationem universalis respectu illarum; sicut quia homo est incapax relationis superioritatis respectu Dei, nullus conceptus formalis præscindens hominem potest tribuere illi in genere causæ formalis superioritatem relativam respectu Dei; sed ratio simpliciter præcisa entis in se est omnino incapax habendi relationes inaequalitatis respectu Dei, & creaturarum in contractione, & in participatione ab ipsis: ergo nullus conceptus formalis præscindens rationem entis in genere causæ formalis potest tribuere illi relationes diversas inaequalitatis in contractione, & participatione respectu suorum inferiorum: minor sic probatur, quia tota capacitas alicuius obiecti ad tales relationes inaequalis participationis fundatur in ipsa inaequalitate entitativa, quam habet obiectum, quia relatio sequitur entitatem fundamenti; ideo enim Petrus dicit ad montem relationem inaequalitatis, quia ipsa entitas Petri, quæ est fundamentum illius, habet in se inaequalitatem entitativam, & contra, ideo animal ut sic est in ea pars relationum inaequalitatis respectu participationis & contractionis ad hominem, & ad leonem, quia ratio animalis ex eo quod sit una indivisibilis, & præcisa simpliciter à differentiis nullam habet entitativam inaequalitatem, ita ut ipsa ratio entis maiorem perfectionem habeat, ut tribuat homini & minori, quam tribuat leoni; sed ratio entis simpliciter præcisa ab omni differentia est omnino eadem, una simpliciter sine vlla inaequalitate maioris, & minoris perfectionem: ergo nullam maiorem, & minorem perfectionem in participatione & contractione potest tribuere suis inferioribus: patet evidenter consequentia; quia nullum aliud esse tribuit, aut potest tribuere illis in tali contractione, & per consequens ipsa inferiora nullum aliud possunt participare ab illa, nisi illud proprium, ac formale esse, quod habet in se ratio entis, & eo modo, quo in se continet; sed illud ipsum esse, quod ratio entis simpliciter præcisa ab omni differentia, & inferiori nullam habet inaequalitatem: ergo sine vlla inaequalitate communicat suum esse in contractione inferioribus, & inferiora sine vlla inaequalitate participant, &c. ergo ratio entis simpliciter præcisa est omnino incapax relationum inaequalitatis in participatione, & contractione respectu suorum inferiorum, ac proinde nulla causa formalis extrinseca, aut nullus conceptus formalis præscindens in genere causæ formalis potest illi tribuere tales ordines inaequalitatis.

Vergetur; quia ratio entis per conceptum abstrahentem eam ab inferioribus nullam accipit diversitatem, nec accipere potest inaequalitatem entitativam

entitativam respectu suorum inferiorum: ergo nullam relationem diversitatis, & inæqualitatis potest tribuere conceptus formalis præscindens tali rationi obiectivæ entis; antecedens sic patet, quia impossibile est, ut idem conceptus formalis tollat omnem inæqualitatem ex parte entis, & simul conferat illi aliquam inæqualitatem, quia tollere omnem, & concedere aliquam involvit contradictionem, sicut involveret contradiccionem in Deo simul tollere ab homine omnem quantitatem, & ex alio capite concedere illi aliquam, nam tollere dicit negationem omnis quantitatis, & tribuere dicit affirmationem alicuius quantitatis; sed negare omnem quantitatem, & affirmare aliquam quantitatem sunt apertæ contradictiones: ergo tollere omnem inæqualitatem ab ente, & concedere aliquam inæqualitatem ipsi dicunt apertam contradictionem, sed conceptus formalis præscindens ens ab omni differentia tollit omnem inæqualitatem ab ipso ente: ergo simul idem conceptus formalis non potest tribuere enti aliquam inæqualitatem. Minor hæc sic demonstratur, quia ablata omni causa formali alicuius effectus formalis primarij, necessario debet auferri omne effectum formale illius; sed per conceptum formalem præscindentem ens, tollitur ab ente omnis differentia maioris, & minoris perfectionis causans omnem inæqualitatem differentium perfectionum in genere cause formalis, ut patet ex supra dictis in prima ratione: ergo per talem conceptum præscindentem tollitur ab ente omnis inæqualitas maioris, & minoris perfectionis.

37 Deinde, quia omnis inæqualitas stat ut adversarij affirmant in participando talem rationem communem & contrahendo illam per dependentiam unius ab alio, creaturæ videlicet à Deo, & non econtra Dei à creatura; sed talis conceptus abstrahens rationem entis à suis inferioribus non est conceptus contrahens illam, sed potius est conceptus denudans rationem entis ab omni contractione dependentis unius ab alio: ergo ratio entis per talem cognitionem ut sic præcisi-
vam non accipit inæqualitatem aliquam in respectu, sed potius terminatur ad illam cognoscendo ipsam sine pluribus, & nullo modo percipiendo an illa plura sint ita differentia per talem dependentiam vel independentiam. Vnde ex his omnibus hanc rationem efformo contra Adversarios.

38 Quia ratio etiam univoca se habet eo modo respectu cognitionis præscindens, ac se habet ratio entis respectu conceptus formalis præscindens ipsam; sed ratio univoca ex vi sui conceptus præscindens non redditur analogia nec definit esse univoca: ergo similiter ratio entis non erit analogia, nec definit esse univoca ex vi sui conceptus formalis præscindens; maior sic probatur, quia sicut conceptus formalis præscindens rationem univocam terminatur solum ad rationem communem denudatam à particularibus, v. g. quando præscindis animal à suis inferioribus, solum concipis principium sentiendi, nec aliud particulare determinatum attingis; sed quando præscindis ens à differentiis particularium quod formaliter attingis, est aptitudo ad existendum, reliqua vero mere materialiter nempe Deum, & creaturam &c. vnde conceptus communis entis qui præscindit illud ab inferioribus non habet formaliter diversitatem ex respectu ad sua inferiora.

R. P. N. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

riora; sed mere materialiter, quia ille non attingit per talem conceptum immediate: ergo sicut se habet conceptus univocus respectu sui conceptus formalis præscindens, ita se habet conceptus entis obiectivus respectu sui conceptus formalis præscindens.

Vergetur ultimo, quia nullus conceptus potest tribuere relationem alicui fundamento, nisi concipiat simul illud fundamentum, & terminos in ordine ad quos debet tribuere tales relationes fundamento, quia relatio nullo modo potest concipi sine fundamento, & termino illius, ut latissime demonstro in Logica, *toto prædicamento de relatione*, & magis ad nostrum præsens intentum in eadem Logica tract. de Universalibus, quæst. vtrum *Univocale fiat per abstractionem vel per comparationem*: sed per conceptum illum formalem præscindentem rationem entis solum concipitur ens sine inferioribus, & differentiis, quæ sunt termini relationum inæqualitatis in participatione; præscindere enim unum ab alio est cognoscere unum sine illo à quo præscinditur: ergo talis conceptus formalis præscindens rationem entis non potest tribuere enti ut sic præciso respectu inæquales maioris, & minoris perfectionis in participatione.

Vergetur amplius, quia id solum potest tribuere in genere cause formalis aliqua forma extrinseca, quod in se est formaliter; quia forma exhibendo proprium esse, constituit effectum; sed conceptus formalis præscindens ens, non est relatio inæqualis participationis, sed solum est representatio entis secundum quod est aptitudo realis ad existendum, sine eo quod terminetur ad inferiora inæqualiter; quia cognitio illa non potest terminari ad aliquod obiectum, nisi representando ipsum; sed cognitio illa præscindens rationem entis nullo modo, neque æqualiter, neque inæqualiter representat inferiora entis, & differentias eorum: ergo nullo modo terminatur ad illa, nec in se est relatio inæqualitatis ad ipsa: ergo in genere cause formalis non potest tribuere enti præciso relationes diversas inæqualitatis ad sua inferiora.

Dices, illas relationes inæqualitatis habere ens ad sua inferiora, non ex eo quod participant rationem entis inæqualiter ex parte ipsius, sed quia ipsa inferiora sunt inæqualia in se, sed hæc solutio nullius momenti est; quia etiam ratio univoca animalis habet ex se tales ordines inæquales, quia homo, & equus inæquales sunt, & sunt inferiora ipsius animalis, & nihilominus tales ordines non auferunt univocationem ab animali, neque causant analogiam in illo respectu hominis, & equi: ergo similiter respectus illi inæqualitatis nullam causant analogiam, neque tollunt univocationem ab ente.

SUBSECTIO II.

Solutiones Adversariorum infringuntur.

Hic nostro principali argumento occurrunt aliqui moderni, distinguendo in conceptu obiectivo entis obiectum implicitum ab explicito: in obiecto explicito concedunt, nullam includi inæqualitatem, aut dissimilitudinem, negant tamen in obiecto implicito materiali quod in ente sunt differentie determinantes, vnde cum

N in

in illis, sic diversitas, & dissimilitudo, iam in obiecto per nomen analogum significato est. simul unitas, aut aequalitas, & similitudo non diversitate, & inaequalitate, idque illustrent exemplo analogorum proportionalitatis, sicut, inquit, risus expresse solum significat risum hominis, implicite vero amoenitatem prati, & hoc sufficit ut risus sit analogus; quia alteram formam expresse, alteram vero implicite importat, ita similiter ens est analogum, quia similitudinem, & aequalitatem, seu unitatem expresse, inaequales vero habitudine simpliciter significat.

42 Sed hoc effugium facile praeccluditur; nam vel solutio haec negat, praescindi posse rationem entis, vel si non negat insufficiens est, & evidenter oppugnat; quia quando dicit obiectum implicitum conceptus entis esse differentias, aut loquitur de obiecto actuali, aut solum de obiecto in potentia? si primum: ergo quando cognoscimus ens actu, respondent cognitioni differentiae determinantes, etiam si implicite, & imperfecte solum cognoscantur, atque adeo non abstrahitur ratio entis ab inferioribus simpliciter; sicut abstrahitur gradus animalis in eorum sententia a differentijs; ut patet in exemplo ab illis adducto; nam ridens in quantum analogum non abstrahit rationem communem homini ridenti, & virenti prout, sed immediate significat tam hominis risum proprium, quam prati amoenitatem, illum proprie, hanc autem per metaphoram, eamque risum denominat propter similitudinem, & proportionem, quam habet cum hominis risu: ergo si ens eodem modo se habet respectu differentiarum includendo illas, & representando ipsas, sicut repraesentat risus utrumque risum: ergo ens non praescinditur a differentijs.

43 Vergetur, ideo animal praescindit simpliciter a differentijs, quia neque expresse neque implicite actu includit illas; nam si actu etiam implicite, & confuse includeret differentias, nullo modo praescinderetur ab illis simpliciter, ideo enim P. Vasq. & reliqui authores negant praescisionem simpliciter entis, non quia in conceptu formali entis includatur expresse actu differentia, siquidem oppositum manifeste constat, cum conceptus formalis entis nullo modo expresse dicat Deum, aut creaturas, ut ex terminis patet, sed quia iudicant per talem conceptum formalem actu confuso, & implicito repraesentari differentias Dei, & creaturarum: ergo si per vos conceptus formalis entis saltem implicite, & confuse actu repraesentat differentias Dei & creaturarum, ratione cuius in ipso conceptu obiectivo entis includuntur actu confuso Deus & creatura, talis conceptus formalis non erit praescindens simpliciter conceptum obiectivum entis, vicissimque hic nullo modo erit praescisus simpliciter ab inferioribus, quod est contra suppositum quaestionis. quare ex hac parte labefactata manet solutio adversariorum, praecipue quia id, quod est simpliciter praescisus, est totum potentiale solum respectu suorum inferiorum, & minime est totum actuale respectu illorum; sed si ens includeret actu confuso differentias, non esset totum potentiale solum, sed potius esset totum actuale respectu illarum, siquidem ipsum includit tales differentias constituentes ipsum ens, & obiectum conceptus formalis entis: ergo non esset simpliciter praescisus.

44 Si autem dicatur secundum: ergo obiectum

adequatum actuale illius cognitionis nullam includit diversitatem aut inaequalitatem in habitudine: ergo nec conceptus; nec nomen ut illud significant, analogae sunt, quia ad analogiam non sufficit, ut in obiecto solum in potentia deatur inaequalitas, sed necessario requirit inaequalitatem actualem, nam tunc non erit analogia ratio communis superior, cum illi non competat definitio analogorum ratione sui, sed potius tota analogia erit in inferioribus ratione differentiarum, in quibus solum est inaequalitas; sed analogia ex parte differentiarum est analogia physica: inaequalitatis, & non propria metaphysica analogia: ergo ens non est proprie analogum, nam ipsi adversarii supponunt conceptum illum simpliciter praescisum quoad explicitum, & quatenus correspondet conceptui formali abstrahenti non includere actualiter rationes formales causantes inaequalitatem analogiae metaphysicae, sed potius assimilari talem conceptum quatenus sic praescisum conceptui animalis, in quo nulla datur actualiter inaequalitas differentiarum: ergo in sententia Adversariorum, vel neganda est simpliciter praescisio, & abstractio a differentijs actualiter, vel non est dicendum, quod significatum illius conceptus formalis actuale sint differentiae contrahentes, ac proinde quod conceptus obiectivus praescisus actualiter aliquo modo includat differentias contrahentes, quia illud quod praescinditur actualiter simpliciter ab aliquibus, actualiter, & simpliciter dividitur ab illis; sed illud, quod simpliciter dividitur ab aliquibus actualiter non est coniunctum cum illis a quibus dividitur actualiter, neque actualiter includit illa, quia divisio formaliter negat coniunctionem cum illo, a quo dividitur, ut videre est in exemplo materiali rami divisi ab arbore, qui nullo modo actu includitur in arbore, neque continetur in illo; quia actu dividitur, & separatur ab ipso: ergo si ille conceptus entis simpliciter est praescisus, & divisus ex parte sua actu ab inaequalitate causata per differentias & a differentijs ipsis: ergo nullam includit inaequalitatem ex parte sui: ergo tota est uniformis aequalis, & eiusdem rationis: ergo aequaliter participatur ab omnibus: ergo univoce.

Vergetur, & confirmatur; quia nihil aliud habet pro obiecto, nec significat actu tanquam materiale, aut tanquam formale conceptus, aut nomen, nisi id, quod exprimitur, & repraesentatur per talem conceptum, aut nomen, quia conceptus formalis adequate, & totaliter est imago, & repraesentatio, & solum illud actu continet res formaliter ut obiectum alicuius cognitionis, si ut obiectum formaliter sumatur, quod actu repraesentatur in illa; sed in cognitione entis, seu in conceptu formali simpliciter praescindente ens ab omni differentia, nullo modo repraesentatur, nec exprimitur aliqua differentia, sed solum non repugnantia ad existendum realiter, hoc est ratio essendi simpliciter opposita nihilo: ergo nec actu confuso, nec explicito in obiecto talis cognitionis dantur differentiae actu; nam ideo homo quatenus hoc nomine significatur in nullius sententia potest dici simpliciter praescisus ab animali, & rationali, quia etiam si expresse non dicat animal, & rationale, implicite tamen actu, & confuse necessario dicit utrumque: ergo si ens ut sic, licet non expresse, implicite rationem,

men, & confuso actu dicit differentias, nullis modo erit simpliciter præcisum ab illis; sed est simpliciter præcisum ab illis per vos: ergo nec actu confuso, nec explicito, sed solum in potentia erunt differentia in ente ex parte sui, ut in animali ex parte ipsius rationale, & irrationale, & ratio evidens est, quia illud quod est simpliciter præcisum est simpliciter indifferens, & contrahibile ad inferiora, unde respectu inferiorum tantum erit in potentia, quia indifferencia formaliter constituit potentiam, v. g. indifferencia quam habet voluntas nostra ad amandum, & non amandum constituit formaliter potentiam illius ad amorem, & ad negationem amoris, sed ens ex eo quod est præcisum simpliciter ab inferioribus, est indifferens, & simpliciter contrahibile ad illa: ergo tantum est in potentia ad ipsa, ac totum potentiale respectu inferiorum; unde nec actu confuso, nec explicito continet aliquid inferius; quia si contineret illud, nec esset potentiale, nec indifferens ad utrumque, v. g. quia substantia actu non explicito, sed confuso dicit ens, non est indifferens, nec est in potentia ad essendum, & non essendum ens, sed potius determinate est ens & idem est in homine respectu viventis.

46 Respondent etiam adversarij, dicentes, ipsum ens abstractum à differentijs inæqualem ordinem habere ad sua inferiora, ex eo quod ens respiciat accidens propter substantiam, substantiam vero propter se, sicut in physicis materia prima respicit accidentia & formas substantiales, cum hoc tamen discrimine, ut formas substantiales respiciat propter se, & propter ipsas accidentia, cum accidentia sint ornamenta, & virtutes substantiæ; sic similiter ens abstractum per nostram cognitionem asserunt, se habere, ut materiam respectu accidentis & substantiæ, inæqualiter respiciendo ipsa, ut dixi.

Quod si interrogas quid sit respectus ille, nec enim realis esse potest, cum differentia, & inferiora non distinguantur realiter à gradu entis & nulla res se ipsam relatione reali respiciat.

47 Respondent, esse respectum rationis, quo formaliter ens in ratione superioris constituitur, ratione cuius magis quodammodo propendet ad substantiam, quam ad accidens.

Sed contra; quia cum respectus hic non resultet, nisi per actum reflexum illum fingentem in sententia adversariorum per illum actum non poterit fingi talis respectus, quia talis respectus est ens rationis, quod ut ipsi asserunt, nullo modo fingitur per reflexum actum, sed solum per directum: ergo nulla est solutio in principiis adversariorum, sed adhuc concessio, quod possit fingi, sic refutatur hæc sententia.

48 Quia ille respectus rationis resultat in re, quæ ex se, & in se ipsa est una, & eadem indivisibilis, quæ nullam continet diversitatem, & inæqualitatem in suo conceptu præciso ab omni differentia. Ex quo sequitur manifeste quod talis respectus sit in re quæ nec participatur inæqualiter, nec potest inæqualiter participari à suis inferioribus, ut supra probavimus: ergo ille respectus est rei univoca, & non analogæ; nam eo modo est respectus, & relatio rationis superioris ad inferiora, quo est res ipsa, quæ superior est, & quo est fundamentum talis relationis; sed supra probatum manet latissime illam rem in se esse univocam propter unitatem simpliciter, & omnimodam æqualitatem in se ipsa: ergo respectus ille non potest esse

R. P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

rei analogæ, & respicientis unum propter aliud ex parte sua, cum ex parte sua & participetur æqualiter, & non possit aliter participari; exemplum manifestum est in qualitate respectu potentia, & actus vitalis; nam licet ratione differentiarum actus sit propter potentiam, quia essentialiter petit illam tanquam subiectum, in quo existat, & tanquam principium vitale à quo profluat essentialiter, ratione cuius non minus dicat ordinem transcendentalem ad potentiam, quam potentia ipsæ ad substantiam animæ, unde non minus datur actus ad ornandam potentiam, & constituendum ipsam, in esse intelligentis, aut volentis, quam potentia animæ datur ad ornandam animam, & ad constituendum ipsam inesse intellectiva & volitiva formaliter; quia tamen ipsa qualitas ut sic æqualiter participatur ex parte sui, ex eo quod in se nullam habeat inæqualitatem, ideo respectus qui resultat in qualitate ut sic respectu suorum inferiorum non est, nec potest esse rei analogæ, sed univoca, etiam si respiciat inferiora, quorum unum est propter aliud formaliter; sed ut supra late demonstratum manet, ens in sua formalissima ratione nullam habet inæqualitatem, sed potius est una simpliciter indivisibilis ratio æqualiter participabilis ab inferioribus, quia ex parte sua non potest uni tribuere maiorem perfectionem, quam alteri, quia talis conceptus est simplicissimus quatenus præcisus à differentijs, & omnino irresolubilis in duas formalitates: ergo licet in tali ratione entis resultet respectus rationis ad inferiora, quorum unum est propter aliud, cum hoc totum solum sit ratione differentiarum, talis respectus non constituet rationem entis in esse analogæ, sed potius erit respectus rei univoca simpliciter: ergo talis solutio nullius momenti est.

Deinde sic amplius virgeo; quia vel talis respectus est ad plura, quorum unum est propter aliud, ex eo quod perfectiorem rationem entis participet, aut solum quia habet perfectiorem differentiam, ratione cuius alterum est propter illud, ex eo quod ab ipso dependeat essentialiter, primum sine dubio causeret analogiam, sed iam supra probavimus, minime unum inferius entis participare perfectius rationem entis, quam aliud, quia in ipso ente nulla datur maior, & minor perfectio quæ possit ex parte entis participari ab inferioribus: ergo non potest ens respicere unum propter aliud, ex eo quod uni tribuat perfectiorem rationem entis, quam alteri.

Secundum non tollit univocationem conceptus communis, cum talis respicientia non tollat æqualitatem ex parte entis, & tota inæqualitas solum sita sit in ipsis differentijs contrahentibus talem rationem; v. g. substantia ut sic respicit arbores, herbas, bruta animalia, quæ sunt propter hominem, tanquam propter finem earum, & elementa propter mixta, ad quæ ordinantur, & nihilominus substantia ut sic est univoca, & non analogæ, quia talis ordinatio, & inæqualitas se habet ex parte differentiarum solum, & non ex parte rationis communis participatæ; sed idem contingit in ente: ergo nullo modo tollit univocationem talis respectus, neque causare poterit analogiam in ratione entis simpliciter præcisæ à differentijs causantibus talem ordinem unius ad aliud.

Irem, quia cum ratio entis antequam fingatur respectus ille debeat esse, vel analogæ, vel univoca

eo ipso quod abstrahatur adhuc explicandum illis restat, in quonam analogia entis consistat ante fictionem horum respectuum.

51 Ad hoc respondet P. Rubius, etiam reperiri in ratione superiori inaequalitatem ex vi ipsius actus abstrahentis rationem communem, quatenus ille abstrahit primo & per se rationem entis à substantia, in qua primo, & per se reperitur, secundario vero, & per accidens ab accidenti, in quo solum secundario reperitur ratio entis.

52 His tamen bene explicatur, negata abstractione entis in quo consistat analogia, ea vero admitta, difficilem doctrinam continere videtur sententia adversaria, licet enim verum sit reperiri inaequalitatem inter Deum, & creaturam, inter substantiam, & accidens, ea tamen non obijciunt conceptui abstrahenti rationem entis, sed solum omnimoda aequalitas, alias si conceptui illi abstrahenti obijceretur illa inaequalitas, in obiecto, si conceptus reperiretur, quia tota & adaequata representatio conceptus est in ordine ad obiectum; unde interrogo, an illa inaequalitas, quae est in obiecto, & representatur in conceptu formali sit inaequalitas differentium perfectionum, vel solum sit inaequalitas in ipsa ratione essendi; si primum, erit inaequalitas differentiarum, ac proinde differentiae erunt in ipso ente, & sic conceptus obiectivus non erit simpliciter praecisus, cum dicat inaequalitatem differentiarum; si autem sit in ipsa ratione entis: ergo in ipsa ratione entis simpliciter praecisa datur inaequalitas: ergo in ipso conceptu entis praeciso datur pluralitas: patet consequentia, quia in vno respectu sui ipsius vel eiusdem ad se ipsum nulla datur inaequalitas, unde formica non est inaequalis sibi, sed homini, & homo non est inaequalis sibi sed monti, quia inaequalitas est relatio, relatio autem non est in vno respectu sui ipsius, sed potius est vnus ad aliud, ac proinde semper relatio essentialiter petit duo distincta inter se, fundamentum nimirum & terminum: ergo si per vos in ipsa ratione entis praecisa datur inaequalitas, dabitur respectus excedentis respectu excessi, ac proinde per talem relationem vnum opponetur alteri relative, & vnum referetur ad aliud relative: ergo in ipso ente dabitur vnum, & aliud, inter quae datur relatio inaequalitatis; sed duo distinguuntur per rationes formales distinguendi: ergo in ipso ente dantur rationes formales distinguendi, sed rationes formales distinguendi sunt rationes formales differendi, quia differre, & distingui sunt synonyma; unde quia homo differt essentialiter ab equo, distinguitur ab ipso essentialiter, & quia Petrus differt à Paulo individualiter, etiam distinguitur à Paulo individualiter. Itaque idem omnino sunt differre, & distingui: unde si in ipso ente dantur rationes distinctae, & inaequales, sine dubio dabuntur rationes differentes inter se; sed rationes differentes differentis constituentur: ergo dabuntur in ente differentiae constituentes distinctas rationes.

Ex quibus evidenter colligitur talem rationem entis non esse abstractam & simpliciter praecisam à differentijs, ut patet ex dictis, quia id, quod includit aliud, non est separatum ab illo; Item manifeste sequitur, rationem entis non esse vnam simpliciter, quia ubi datur pluralitas, non datur unitas; sed in ente per vos datur pluralitas rationum inaequalium: ergo non datur unitas; sed ex ipso supposito quaestionis ratio entis est sim-

pliciter praecisa, divisa, abstracta, & separata ab omni differentia & ab omni ratione distinguendi & diversificandi, ac proinde est vna simpliciter, & indivisibilis: ergo in tali ratione nulla datur inaequalitas ex parte sui; sed id, quod communicat Deo & creaturis, accidenti, & substantiae, est ipsum formalissimum esse, quod in se habet, & eo modo, quo in se habet: ergo ex parte sua dat esse omnino aequale, ac per consequens inferiora illa aequaliter participant, & contrahunt ipsam rationem entis ex parte illius; unde ex parte illius non est vna prior respectu alterius quia est vna, & eadem; unde in ratione entis ita sunt vnum substantia, & accidens, ut ratio entis in substantia non sit prima & in accidente secunda, & ideo non contrahitur ut prima ad substantiam, & ut secunda ad accidens, sed potius tamen prima, & perfecta est in substantia, ac in accidenti; sicut quia Deus per immensitatem se communicat omnibus creaturis, & in Deo non datur prima, & secunda ratio, & ex parte sui non datur ratio per se, & ratio per accidens, quia non datur in Deo duae rationes, sed vna simplicissima, quae ex vi immensitatis per se petit esse in omni ratione reali non potest dici Deum ex parte sua esse in Angelo per se, & in formica esse per accidens, aut in Angelo esse primario, & in formica secundario, sed potius quantum est ex parte substantiae Dei, & ex parte immensitatis ipsius tam per se, & primario est in formica, ac in Angelo: sed ratio entis est vna simpliciter sine inaequalitate ex parte sui, & ratione communicabilitatis, & indifferentia per se petit descendere ad omnia sua inferiora, quia talis indifferentia, & potentialitas sequitur ipsum esse; sed in ipso esse nulla datur differentia, & inaequalitatis nulla ratio per se, & per accidens, sed solum vna ratio simpliciter essendi, non per accidens sed per se, quatenus per se opponitur nihilo: ergo ex vi talis potentialitatis, & indifferentiae petit uniformiter descendere, & existere in inferioribus, ac proinde non per se, & per accidens, sed solum per se, ita ut ex parte sua tam per se sit in accidenti, quam in substantia.

Tunc sic eo modo est praescindibilis, & abstracta 53
hibilis ratio communis, quo est contrahibilis, & existit in suis inferioribus; sed ratio entis simpliciter praecisa non est per se, & per accidens, primario, & secundario, sed solum per se, & primario contrahibilis ad inferiora omnia: ergo falso asserunt adversarii dicentes primario esse abstractibilem à substantia, & secundario ab accidenti, sed potius dicendum est per se solum esse abstractibilem ab accidenti, & substantia, sine vlla inaequalitate in hac praecisione.

Declaratur amplius; quia haec ratio, quae abstrahitur, non est particularis aliqua ratio, sed ita est communis, & universalis, ut sit aequivalenter omniens; unde in hoc habet quasi infinitatem, & haec omneitas, ut ita loquar, non convenit per accidens, aut secundario enti, ut sic, sed potius per se, & essentialiter: ergo per se, & essentialiter, & non secundario, sicut petit descendere ad omnia, ita petit abstrahi ab omnibus per se, & non per accidens; sed inter omnia, ad quae descendit, & à quibus abstrahitur, sunt accidentia, & creaturae, & non solum Deus, & substantia: ergo non solum ad Deum, & ad substantiam descendit primo, & per se, sed etiam ad creaturas, & ad accidentia: ergo non solum à Deo,

Quæst. I. Vtrum si Præscindatur, &c. 101

Deo, & à substantia, sed etiam à creaturis, & ab accidentibus est primo; & per se abstrahibilis ratio illa entis.

55 Declaratur amplius; quia in ente ut sic præciso, & datur ratio entis, & datur ratio omnis entis, rationi autem entis poterat non convenire per se abstrahi à quocumque ente etiam creato, attamen rationi omnis entis non potest per accidens, sed potius per se convenire abstrahi ab omni, & à quocumque ente; sicut existentia divinæ præcise ut sic, licet dicatur convenire per accidens esse in formica, nihilominus non cõvenit per accidens existentia divinæ immensæ in formica, supposita existentia illius, sed potius per se, ratio est evidens; quia illud non est per accidens respectu alicuius, sine quo nullo modo potest esse, aut intelligi illud; sed omniens quatenus tale non potest intelligi sine contractione ad omnia; ergo similiter sine abstractione ab omni, & quocumque particulari enti non potest adæquate esse, nec intelligi omniens simpliciter præcisum: ergo non est per accidens, sed maxime per se omniens ex parte sua præscindi ab accidente, sicut non est per accidens ipsi esse commune accidenti.

Deinde; quia quando dicitur per accidens præscindi ab accidenti, vel est sensus, quod præscindatur ens ab eo, quod per accidens tantum est ens, & quod non est primario tale; & in hoc sensu est falsa propositio; quia illud quod essentialiter, & quidditative est aliquid, est tale non per accidens, sed per se, non primario sed secundario, & ratio est, quia inter modos dicendi per se primus est quidditativus, & essentialis, ut patet ex ipsis terminis, sed accidens essentialiter, & quidditative est ens: ergo primario & per se est ens, & non secundario, & per accidens: ergo si cut falsum est dicere, accidens non est essentialiter ens, sed accidentaliter ens, ita est falsum dicere, non esse ens per se sed per accidens, non primario sed secundario: eodem modo erit falsum dicere, præscindi ens ab accidenti non primario sed secundario, non per se, sed per accidens, sumpta propositione in sensu, in quo significatur quod accidens non sit primo, & per se ens.

Ex quo sic argumentor. Quia non est per accidens rationi communi præscindi ab inferiori per se illius, & quod non est tale secundario & per accidens; sed accidens per se, & non secundario est inferior entis, quia essentialiter, & quidditative est inferior illius, quia essentialiter, & quidditative constituitur ab ente, & participat esse ab illo: ergo enti non convenit per accidens abstrahi ab accidenti, sed primo, & per se, licet substantia conveniat per accidens ex parte propriæ differentia, ut ens, quod præscinditur ab ipsa, præscindatur, etiam ab accidenti; sicut existentia Dei in Angelo si ex parte Angeli concipiatur per accidens, videtur convenire quod ipse Deus existat in formica, licet ipsi existentia ex parte existentia divinæ, quia est infinita, & immensa non conveniat per accidens esse in formica, quæ actu existit supposita tali existentia formicæ; nam si Deus non existeret in formica existenti non esset immensus: ergo similiter in nostro casu, sed abstractio, quæ constituit rem univocam, & tollit analogiam, non est consideranda ex parte unius inferioris in ordine ad aliud, sed potius ex parte superioris abstrahibilis: ergo si ex parte entis ipsum est primo, & per se abstrahibile ab acci-

denti, etiam si ex alia parte dicatur per accidens, erit sine dubio univocum accidenti, & substantia, neque erit analogum ullo modo.

Vel est sensus talis propositionis, quod ens abstrahatur ab accidenti, quod comparatum cum substantia, est accessorium illius, & accedit illi secundario, & in hoc sensu non tollit abstractio ab accidenti, & substantia univocationem entis, quia se tenet ex parte differentiarum, v.g. qualitas, secundario accedit quantitati, & habitus acquisitus secundario accedit potentia, & est accessorium potentia, quia non est ad simpliciter operandum, sed solum ad secundum quid, & ad melius esse, & ex alio capite supponit, accedendo potentia ipsam potentiam complete, constitutam in suo esse, & nihilominus accidens abstractum à quantitate, & qualitate, & qualitas abstracta ab habitu, & potentia, habent univocationem respectu illorum, ac proinde omnem præcisionem necessariam ad illam: ergo dicendum erit idem de ente præciso ab accidenti, & substantia, &c.

Confirmatur; quia conceptus ille solum concipit rationem entis, quando præscindit ens ab inferioribus; sed accidens non est inæquale substantia in quantum ens, quia ut vidimus in ratione entis nulla datur inæqualitas; ergo conceptus ille præscindens ens in ratione præscindendi ens, præscindit æqualiter, tam ab accidenti, quam à substantia; nam per vos ideo primario à substantia, & secundario ab accidenti, quia accidens est ornamentum substantia, & virtus accidentaria eius ordinata ad ipsam; atqui accidens non est ornamentum & virtus accidentaria substantia sub ratione entis ut sic, & quatenus ens (alias etiam substantia esset virtus accidentaria & ornamentum, quia secundum illud axioma, dici de omni, quando alicui convenit aliquid prædicatum ratione alicuius superioris, convenit omni contento sub illo, &c.) sed ratione differentiarum: ergo conceptus illa præscindens, qui solum respicit rationem entis, & non differentias, non præscindit ens primario ab accidenti, & secundario à substantia, quia accidens in ratione entis tam primario est ens, quam substantia, quia ratio entis in utrisque est una, & indivisibilis ex parte sui, &c.

Nec etiam invariatur confirmatio solutionem Adversariorum exemplum illud physicum materia primæ: primo, quia ea non respicit substantiam, & accidens, in quantum sunt entia præscindendo gradum entis, sed in quantum sunt talia entia, formam nimirum substantialem in quantum talem, cum qua componat unum ens per se substantiale, quod non potest facere ens, ut ens, alias accidens, quandoquidem vere, & proprie est ens, componeret unum ens per se substantiale cum materia prima. Item respicit formam accidentalem in quantum talem, & in quantum est dispositio ad formam substantialem, & ornamentum ipsius, atque adeo non mirum si ea inæqualiter respiciat, siquidem respicit illa secundum entitates particulares illorum ut in se sunt, in quibus datur maxima inæqualitas; sed conceptus ille præscindens rationem entis ab accidenti, & substantia, nullo modo terminatur ad differentias accidentis, & substantia, quia omnis terminatio cognitionis est representando & cognoscendo; cum autem illa cognitio non representet, neque cognoscat differentias, non potest terminari

ad illas; ideo enim cognitio illa præcendens dicitur cognitio entis sine differentiis; ergo talis cognitio nullo modo terminatur ad differentias, nec respicit illas; ergo solum respicit rationem entis, quæ præcenditur, & cognoscitur sine differentiis; sed tam ens primum est, & per se, quod præcenditur ab accidente, quam quod præcenditur à substantia, quia vnum, & idem ens est sine vlla inæqualitate in ipso ente: ergo talis præcisio ex parte sua & formalissime quatenus cognitio & ex parte entis tam æqualiter respicit ens præcisum ab accidente, quam quod præcenditur à substantia, & tam per se præcenditur vnum, ac aliud, quia proprie non est vnum, & aliud, sed vnum solum, ad quod formalissime essentialiter, & per se terminatur conceptus ille præcendens: ergo maxima differentia est, quæ reperitur inter respectum conceptus præcendens ens ab accidente, & substantia, ac inter respectum materiæ primæ respicientis formam substantialem, & accidentalem, ac proinde exemplum adversariorum non faret illis, sed potius labefactat eorum opinionem.

Secundo si in vestra sententia ordo materiæ primæ ad formam substantialem, & accidentalem est essentialis, ut vos supponitis, non erit plures, sed vnus, quia in vna essentia solum vnus ordo transcendentalis datur; ille ordo ex eo quod maxime vnus est physice maxime vnivocus erit physice etiam si termini dicant analogiam physicam; ergo similiter respectus entis, seu communicabilitas eius, quia vnica est in ente metaphysice concepta, maxime vnivoca erit respectu accidentis, & substantiæ; etiam si accidens, & substantia ratione propriam differentiarum habeant analogiam physicam; ergo vestrum exemplum pro nobis est, & contra vos.

59 Ultimo sic labefactio sententiam adversariorum, quia omnis motus non sumit suam speciem, & essentiam, non à termino à quo, sed à termino ad quem, unde productio non sumit esse à non esse termini, sed potius à facto esse termini per ipsam; sed conceptus ille præcendens ens ab accidente, & substantia habet pro termino à quo accidens, & substantiam, & differentias eorum, quia ab ipsis separatur rationem entis; unde sunt termini à quibus separatur ens, & habet pro termino ad quem ipsum ens separatum, in quo nulla est inæqualitas, etiam si detur inæqualitas in accidente, & substantia: ergo talis conceptus nullam habet in se inæqualitatem respectu entis præcisi, & quatenus præcendit ipsum; unde nulla dabitur differentia in illo conceptu præcendente formalitatem per se, & per accidens, primario & secundario, siquidem in ipso termino ad quem præcisionis à quo sumit esse suum præcisio nulla datur differentia, & inæqualitas rationum formalium per se, & per accidens, secundario & primario, cum ipsa ratio entis, quæ est terminus ad quem solum sit per se, & primario ratio entis, & nullam habeat rationem per accidens, & secundariam.

60 Deinde, quia ab illo sumit suum esse conceptus formalis, quod fuerit obiectum per se representatum in illo; sed accidens, & substantia, & differentia eorum nullo modo representantur in illa cognitione ut obiectum, sed solum representantur per se ratio entis, quæ est vna, & æqualis; ergo ab illa ratione entis, quæ est vna vniformis sine differentiis, debet sumi vnitas, æqualitas, & vniformitas conceptus præcendens, & non ab inæqualitate accidentis, & substantiæ, quia hæc non

sunt obiectum formale illius: ergo si ratio entis nullo modo est per accidens, sed per se in se concepta, ratio præcendens dicitur solum præcendens per se, & non per accidens; sed ipsam rationem entis præcendit ab accidente, & substantia; ergo nullo modo potest dici quod rationem entis præcendat ab accidente per accidens, & à substantia per se, ab vno primario, & ab altero secundario, ac tandem cum inæqualitate respectu ipsorum; ut videre est in conceptu præcendente animal, qui nullam dicit inæqualitatem, quia in ipso animali præcisio non reperitur illa, licet reperitur inæqualitas inter differentias, à quibus præcenditur quia eo modo est conceptus formalis præcendens, ac est obiectum præcisum; sed in ente quod est obiectum præcisum per conceptum formalem nulla datur diversitas rationum per se & per accidens, secundariæ & primariæ, etiam si dentur illæ rationes in accidente, & substantia, & ex parte differentiarum, à quibus præcenditur; ergo in conceptu formali nulla dabitur inæqualitas supradicta, neque denominabitur per se, & per accidens præcendens, sed potius vocabitur vere, & proprie per se præcendens rationem entis, quia talis ratio præcisa est per se, & formalissima ratio essendi.

SVBSECTIO VLTIMA.

Probatnr nostra conclusio.

Ratio entis per vos est omnino præcendibilis à suis inferioribus; tunc sic præcendens ab accidente rationem entis, & etiam à substantia rationem entis, & quæro de his rationibus entis præcis à substantia, & accidente, an sint omnino similes inter se, vel non? si negativam partem elegeris, iam non erunt simpliciter præcisæ, quia illæ duæ rationes entis ex nulla alia parte possunt deficere à perfecta similitudine & unitate, nisi quia includunt aliquid de illo, ratione cuius inter se dissimulantur; quidquid autem illud sit, necessario erunt differentia, ratione quarum res dissimiles constituuntur; unde includunt sua inferiora, & sic non erunt præcisæ ab illis; si elegeris partem affirmativam: tunc sic, de ratione præcisæ à substantia est verum dicere quod sit ens; quæro igitur, quomodo ens prædicetur de his duabus rationibus præcis, an analogice, an vnivoce? non primum, quia illæ duæ rationes præcisæ habent omnem convenientiam, & similitudinem, quæ potest excogitari inter ipsas sine vlla dissimilitudine, & differentia; sed ratio, quæ prædicatur de duabus omnino similibus sine vlla dissimilitudine, prædicatur vnivoce de illis, & non analogice, ut videre est in aqua ut sic, quæ prædicatur vnivoce de hac, & illa aqua, quia sunt omnino similes sine dissimilitudine; & materia prima ut sic sublunaris prædicatur vnivoce de his materiis, quia sunt omnino similes sine vlla dissimilitudine; sed ens, quod præcenditur à substantia ex eo quod est simpliciter ens, & ens quod præcenditur ab accidente, quia similiter est absolute, ac simpliciter ens, sunt omnino similia: ergo vnivoce prædicatur ens de ente præcisæ ab accidente, & de ente præcisæ à substantia; ergo de primo ad vltimum etiam prædicabitur vnivoce de ipsa substantia, & accidente; probatur hæc consequentia, quia tota ratio, quare substantia prædicatur vnivoce

Quaest. II. Vtrum si ens simpliciter, &c. 163

voce de homine, & equo est quia vni voce praedicatur de animali, quod vni voce praedicatur de homine, & equo. Item animal praedicatur vni voce de leone, & elephante, quia vni voce praedicatur de animali praefixo ab elephante, & de animali praefixo a leone; sed ens dicitur vni voce per se de illis entibus praefixis a substantia, & ab accidenti: ergo de primo ad vltimum etiam praedicabitur vni voce de accidenti ipso, & de substantia.

62 Etiam, quia tota ratio vni uocationis illarum rationum praefisarum erat omnimoda similitudo in ratione entis; ex eo quod erant vnum in ente vt sic, ex eo, quod ens, vt sic, in quo conveniunt, est vnum, sine vlla divisione, & distinctione; sed ista unitas, & omnimoda similitudo non destruitur per rationes particulares substantiae, & accidentis: ergo quamvis ista cum illis coniungantur, adhuc perseverabit vni uocatio entis; minor probatur, quia in ratione entis non ingrediuntur istae rationes particulares: ergo destruere non poterunt omnimodam similitudinem, quae illis reperitur; haec enim est ratio, quare rationale identificatum cum animali, & irrationale identificatum cum eodem non destruit vni uocationem, quam dicunt hoc, & illud animal in ratione animalis, vt sic.

63 Sed supponamus differentias accidentis, & substantiae vritas entis vt sic dividere ipsum, & tollere unitatem simpliciter illius, & ideo dicantur differentiae diuidentes, nihilominus tamen quando ratio entis est simpliciter praefixa ab illis, non potest amittere suam unitatem simpliciter, & vni uocationem, quia sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis; sed affirmatio coniunctionis differentiarum cum ratione entis est causa affirmativae diuidentis & tollendi unitatem illius: ergo negatio talis coniunctionis erit etiam causa negationis talis diuisionis, & destructionis vni uocationis entis.

Dices, ideo ens non esse vni uocum, quia ex natura sua postulat descendere prius ad substantiam, quam ad accidens, & ad substantiam per se, ad accidens vero per habitudinem ad illam.

64 Sed; vel per *ly prius*, intelligis prioritatem rationis, & haec non est ad rem in modo est sermo de ratione entis obiectiva, & propterea est in se ens; vel per *ly prius*, intelligis prioritatem realem, temporis scilicet & naturae; & haec etiam non habet locum, siquidem ista prioritas realis convenit etiam vni homini respectu alterius, & causae vni uoce respectu effectus vni uoci, & non tollit vni uocationem in ratione hominis, etiamque competit enti partiali, non autem nominali, de quo hic est sermo, vel per *ly prius*, intelligis prioritatem secundum perfectionem, & excellentiam ex parte inferiorum ratione differentiarum, & ista prioritas non tollit vni uocationem, in hoc enim sensu etiam potest dici, animal prius descendere ad hominem, quam ad cetera animalia; at tamen si sumatur prioritas perfectionis ex parte superioris in se ipso, sine dubio si haec detur in aliqua ratione superiori, tollit vni uocationem; sed in nostro casu nulla datur prioritas, & posterioritas in ipso ente praefixo ex parte sui, quia in illo ente vt sic non datur minor & maior perfectio, ex eo quod sit vna, & indivisibilis ratio entis, vt latissime

supra demonstratum manet: ergo nullo modo potest in hoc sensu dici; ens descendere prius ad substantiam, quam ad accidens; unde solutio nihil continet novitatis quod non sit iam oppugnatum supra; sicut nullius momenti est alia solutio affirmantium ens ideo non esse vni uocum; quia ad substantiam descendit propter se, ad accidens vero propter habitudinem ad substantiam; hoc autem, ni fallor, tantum est aerem sermonibus verberare, & nullo modo difficultati satisfacere, nam dicere ens ad substantiam descendere propter se, & per se, idem est, ac dicere, ens vt constituat substantiam contrahi a substantia per modum perfectitatis ad constituendam quandam speciem entis, quae est finis accidentium, ac proinde per se, & propter se est amabilis, & dicere ens descendere ad accidens per habitudinem ad substantiam, idem est, ac affirmare, quod ens vt constituat accidens, contrahitur ad hoc per differentiam in alietatis, nam habitudo ad substantiam est habitudo formae ad subiectum, quae habitudines ex parte differentiarum se habent, ac proinde non tollunt vni uocationem ex parte superioris, hoc est igitur quod a te quaerimus, cur ens non dicatur vni uoce de ente per se & de ente in alio; cum haec duo inter se in ratione obiectiva entis nullo modo differentes vi enim definitionis vni uocatorum quid amplius requiritur, quam habere nomen commune, & quod ratio significata per tale nomen sit omnino eadem sine diversitate ex parte illius; si igitur ens per se, quod est substantia, & ens in alio, quod est accidens, habent nomen commune entis, & ratio significata per tale nomen est omnino eadem; & vna simpliciter sine vlla diversitate ex parte sui, quia est simpliciter praefixa ab omni differentia causante diversitatem; cur non erunt vni uocata respectu entis, & ens non erit perfecte vni uocum respectu illorum? Requiritur autem plusquam hoc ad naturam vni uocorum, est illorum definitionem e medio tollere, & aliam pro libito componere, sicque posset aliquis dicere, animal non esse vni uocum respectu hominis, & leonis, quia in homine animal elevatur ad gradum valde superiorem, scilicet intellectivum, esseque de ratione vni uocorum, vt sint intra eundem gradum perfectionis, & sit sexcenta alia; quod nullo modo admitti debet a viro docto.

Tandem quia ens abstrahit a substantia, & accidenti: ergo abstrahit ab ente per se, & ab ente in alio: ergo ex parte sua nec est ens per se, nec ens in alio; sed potius vna simplicissima ratio entis; unde ex parte sui non descendit ad substantiam, vt ens per se & ad accidens, vt ens per habitudinem, alias ens, vt descendit ad substantiam, esset substantia, & vt descendit ad accidens, esset accidens, quare ens vt sic non descenderet ad substantiam, sed potius substantia ad substantiam, & accidens ad accidens; ac proinde idem ad idem, quod est omnino ridiculum; nam sicut idem non est superius respectu sui ipsius, ita non potest descendere ad se ipsum, quia descensus est ab inferiori ad superius, sicut ascensus e contra est ab inferiori ad superius.

SECTIO

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

- 66 **A**D locum Aristotelis respondeo admittendo locum Philosophi; quia maxime confirmat nostram sententiam, nam si ipse ait ibi esse analogiam, & ea esse analogia, quæcunque ita se habent, ut unum sit ad aliud, in ratione entis præcisa simpliciter nulla dabitur analogia, quia in tali ratione non datur aliud, & aliud, nec plura, quæ ita sunt, ut unum sit propter aliud, quia in ente ut sic præcise solum est univocatio essendi indivisibilis sine ulla pluralitate. E contra vero in inferioribus entis dantur plura, quæ ita se habent, ut unum sit ad aliud, ac proinde datur aliud ad aliud, creatura nimirum ad Deum, accedens ad substantiam; cum autem hoc totum sit ratione differentiarum, dabitur in illis analogia, quæ vocatur physice inæqualitatis, non autem analogia metaphysica, de qua hic loquimur: ergo in ratione entis potius datur univocatio, quam analogia metaphysica.
- 67 Ad secundum respondeo distinguendo maiorem; si non adæquat virtutem causæ, quam causa habet ex parte differentie, & nihilominus effectus, & causa conveniunt in una indivisibili ratione superiori participando illam ex parte sui sine aliqua inæqualitate, nego; quod contingit in nostro casu si participant cum inæqualitate, concedo ex parte superioris, quo nullo modo evenit in ente respectu Dei, & creaturarum.
- 68 Ad tertium distinguo, ratio entis præcisa ab omni, quod est proprium Dei, & à creaturis nego; ipsa ratio entis adæquate & realiter sumpta secundum quod adæquate est Deus ratione differentie increate concedo; sed hoc non est contra nos, quia solum loquimur de ratione præcisa entis.
- 69 Ad quartum eodem modo respondeo, & addo; potius hæc duo argumenta probare illam rationem entis non esse præcisam, quam supposita præcissione, non esse univocam; unde negamus ens ut sic, quatenus ens est simpliciter præcisum sub illa formalitate adhuc quatenus ex parte sua descendit ad creaturam esse ens per participationem, & ut descendit ad Deum, esse ens per essentiam; nam licet creatura sit ens participatum, & Deus sit ens per essentiam, & imparticipatum ratione propriarum differentiarum, ens autem commune utrique sicut præcise ab utroque, & abstrahit à differentiis utriusque, ita abstrahit ab ente per essentiam, & ab ente per participationem, unde non est unum, nec aliud, sed unum commune illis.
- 70 Ad quintum respondeo, concedendo maiorem, & distinguendo minorem; ens non ponitur cum ultima differentia sine intermedijs, concedo; v. g. homo non est ens rationale præcise, sed potius ens per se corporeum, vivens, sensibile, rationale, quia contra naturam est transitus de termino extremo ad extremum sine medio; ens non ponitur cum omnibus differentiis (ut in Logica late dictum est) nego.
- 71 Ad ultimum respondeo negando minorem; ad probationem illius nego absolute illam maiorem, quia genus non solum debet esse univocum, sed etiam debet esse extra rationem differentiarum, ut patet ex dictis latissime in Logica.



QVÆSTIO III.

Utrum supposita præcissione entis simpliciter transcendentia illius tollat univocationem?

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponitur.

PRIMA sententia est aliquorum Thomistarum asserentium, transcendentiam entis tollere univocationem illius, & causare analogiam in ipso respectu inferiorum: hanc sententiam amplectitur P. Hurtado in *Logica*, disp. 9. sect. 4. subsect. 5. qui antequam hanc sententiam probet, ut melius eam propugnet, & oppugnet adversariam, asserit inter rationes transcendentis & non transcendentis dari hoc maximum discrimen, videlicet quod rationes non transcendentis habeant eandem perfectionem essentialiam, quando abstrahuntur, ac quando contrahuntur: v. g. animal habet in homine totam perfectionem essentialiam, quam habet pro ut abstractam, quia licet in homine coniungatur rationalitati; cum tamen rationalitas non imbibat in se animalitatem, sit ut tantum sit perfectio accidentaliter metaphysice loquendo respectu animalis, & per consequens idem animal formaliter sine aliqua dissimilitudine, & inæqualitate essentiali est in omni statu tam abstractionis, quam contractionis, ita ut idem formalissime sit in homine, & in equo sine aliqua dissimilitudine, aut inæqualitate essentiali; sicut eadem materia prima est in homine, & in cadavere; sine eo quod in illo habeat maiorem perfectionem essentialiam, ac in hoc. Secus vero asserit Hurtado contingere in transcendentibus, quorum conceptus communis quidditative, & essentialiter sit perfectior in suis inferioribus ratione transcendentie, quia imbibitur essentialiter in differentiis eorum, quam si non esset in illis; atque ideo cum non sint duo conceptus, entis conceptus, & conceptus substantie, sit ut cum substantia sit perfectior accidenti quidditative, & essentialiter, ipsum etiam ens contractum in substantia sit perfectius quidditative, & essentialiter se ipso, pro ut contractum in accidenti; unde ipsum ens præcisum est æquale ipsum autem formalissime contractum est inæquale sibi essentialiter, & quidditative; hæc sententia probatur sic.

Primo, quia analogia sunt quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen nec omnino eadem, nec omnino diversa, sed partim eadem, partim diversa; sed transcendentia efficit, ut ratio significata per nomen sit partim eadem, partim diversa: ergo transcendentia causat analogiam. Minor probatur, quia ille conceptus transcendens, ut abstractus est omnino idem cum ipso conceptu ut contracto; sed pro ut abstractus est idem, & ipse pro ut contractus est diversus, cum sit de ultimo, & intrinseco conceptus substantie, & accidentis ratione transcendentie; & accedens & substantia sunt diversa: ergo